

fl. 107, 15.



ANALECTA QVAEDAM LITTERARIA  
HISTORIAE LYCEI NIVEMONTANI  
INSERVIENTIA  
SECUNDO MEMORIAE TRADIT,

QVIBVS

# INSPECTORES LYCEI GRAVISSIMOS

SENATVM AMPLISSIMVM,  
SACRORVM MINISTROS MAXIME REVERENDOS,  
CETEROSQVE REI NOSTRAE FAVTORES  
EGREGIOS,

VT

SOLEMNI COLLEGAE ET CANTORIS LYCEI INAVGVRATIONI  
d. XXI. M. Febr.

H. L. Q. G. PERAGENDAE  
BENIVOLE INTERSINT  
HUMANISSIME ROGAT

*M. CAROLVS HENRICVS TROMLERVS,*

Sacror. Minist. Primus, Lyc. Ephorus et Dioceſ. Cygn. Adjunctus Primat. Reg. Teut. Societ.  
Goetting. et Lat. Ien. Soc. Hon.

—  
SCHNEEBERGAE,  
TYPIS DAN. HEINR. FULDII.

ALERE TIBI MAGIS Q[UA]D ATQ[UE] A  
MATRAT[UR] VITIA IN VITIA HABITAT[UR]  
TIBI TIBI TIBI  
TIBI TIBI TIBI





**M**agna sane primis bonarum artium magistris debetur gratia et grata memoria, quorum opera et studio Scholis publicis vel cultus aliquis lumenque, vel utilitas et commodior expeditiorque tam docendi, quam discendi ratio accessit, vel pueri in litteris humanioribus et morum studio profecerunt adeo, ut altiora studiorum incrementa capere posthac, et bono publico prodesse possent. *Nec parua, ipso Melanchthoni iudice, pars est gubernationis institutio adolescentiae, etiam si a Centauris et Cyclopiis deridetur.* Quin, ab ingeniorum officinis bene constitutis pendere salutem communem et ecclesiae et rei publicae, easque ideo summorum in rep. virorum prouida cura omnino dignas esse, omnes fere hac nostra aetate fatentur miro consensu. Quae res cum imprimis anno superiori, solennitate quadam et opportunitate sic ferente, obuersaretur animo, operae premium esse duxi, ut eiusmodi commoda, quibus Summum Numen Lyceum nostrum

=====

nostrum inde a primis incunabulis per longam annorum seriem ornatum reddidit, in memoriam redigerem, mihius apud animum proponerem, non nulla Analecta Litteraria, quae ad historiam Scholae ciuicae facere viderentur, litteris mandare. Quod quidem institutum, cum nec displicuisse, nec molestum lectoribus fastidium attulisse intelligerem, age iam, ubi recens creato, et ex more institutoque maiorum, iussuque Superiorum inaugurando Scholae doctori et Chori Symphoniaci rectori proludendum est, sustineamus persequi. Ac primum quidem aequi lectores non mirabuntur, si, quae in priori commentatiuncula praetermissa erant, hic legent suppleta. Video enim iam, campum fuisse ampliorem, quam quem pauculis pagellis emetiri possemus.

*De Io. Foersterio, Theologo illo eximio, et Iudi nostri antea Rectore, Witten in Mem. Theol. p. 67-71. multa praeclara narravit, interque ea quoque haec: Quatuor decennis quasi puer in Schneebergensem tum temporis celebrem ludum deportatus est, ubi M. Iusto Schelhammero et M. Paulo Leudelio, eximius atque doctissimus Praeceptoribus, non modo latinam atque graecam litteraturam uberiori hanxit, sed et initia hebraeae linguae, imo aliquam Dialecticæ et Sphaericæ cognitionem reportauit. Quibus artibus instructus A. 1593. in Acad. Lipsi. venit. Et hic monendum esse censeo, nomen Lemmelii vi- tatum fuisse in Leudelium vel a typotheta, vel a librario. Posterioris enim nomen Schola nostra prorsus ignorat.*

*M. Balth. Meissnero, Conr. A. 1647. rebus humanis excuto, et in priori comment. iure laudato, successerat M. Mich. Listius, Ricobacenfis, Variscis Eruditis, quos terra haec Advocatorum magno numero protulit, aluitque, merito accensendus, dissertatione de Claritate Natalium Balduinorum insignis, postea ad Prorectoris munus in Hl. Gymnasio Altenburg. euocatus, de cuius vita meritisque, uti spes facta est, tempore opportuno vir celeb.*

celeb. eruditissimusque Christ. Henr. Laurentius, Gymn. ejusdem Prof. excellenter meritus, amicus pie colendus, vberius expositurus est. cleopatra  
 M. Christ. Amos Burgeri, olim Rect. scriptis addenda sunt duo alia non contemnda, nimurum de Turpitudine calumniae Apostasiam Morale. A. 1688. 4. nec non de ratione futurorum Contingentium Progr. A. 1691 hic edit.

Io. Bonitii commemoratis scriptis et ingenii speciminibus insuper annis numerandam esse dissert. theol. de Turri Eder ad Genes. 35. 21. et Mich. 4. 8. Praefide D. Valent. Alberto Lips. A. 1689. habitam editamque, me monuit Sacror. Numburg. Antistes S. R. Doctissimusque, Car. Aug. Lenckius, Bonitii ex filia nepos, tanto aeo dignissimus, mihique amicissimus. Sed non ita pridem alia Bonitii elucubrata, quae hue usque me latuerant, a Fautore, auro contra mihi cariore Christ. Gulielm. Frid. Schmidio, eruditissimo illo et rei metallicae peritissimo metallifodinarum in Tractu Frib. Praefecto praecclare merenti, dono transmissa sunt; quorum argumenta hic L. B. habe: *Proluso*, qua, lectionem Veterum Rom. I Ctorum multum conferre ad rectius intelligendos et explicandos autores Classicos, exemplis sat bene multis ac pereruditate iuit demonstratum, ed. Cygn. 1695. 4. digna, quae denuo typis mandaretur. *Dissertationes III. de Diis Magnis*, hic A. 1696. seqq. 4. vulgatae. *Progr. de Moribus Atheniensium in Terentio nos tatis*, A. 1698. 4. Quibus mihi liceat adiungere *Carmen Elegans*, solemnitati dicatum, qua Mons Niueus Friderico Augusto, Elect. Sax. homagium praestabat d. XI. Jun. 1695. apud nos formis exscriptum f.

Nec hic praetermittenda est *Memoria Urbani Godofredi Siberi*, notarii ludi primum Rectoris, deinde S. T. D. Antiquitatt. Eccles. P. P. O. et ad aed. D. Thom. Past. excellenter promeriti, d. XV, Jun. 1741. placide exfinc-

*extincti.* Progr. funebri renouata, Lips. eod. a. et Fol. excusa, quam beneole mecum communicauit S. R. Doctissimusque *M. Godofr. Guli-elm. Straussius*, Sacr. Ricobac. Antistes et Dioec. Plau. Adj. optime meritus, amicus egregius; nec non *Elogium eiusdem Siberi*, cuius auctor est *Io. Mart. Chladenius* in *Opusc. Acad.* p. 223 - 368. quodque scriptum illuminissimum legi sane meretur.

Promissi mei probe memor, Cippum, quem memoriae ac pietatis causa *Christiano Freytagio*, LL. AA. M. Philologo percelebri, ac de Lyceo in montibus niueis efflorente Prorectoris titulo optime merito, praematura vero morte et in aetatis flore cum gemitu luctuque Musarum XVII. Kal. Ian. A. MDCCVI. abrepto, Schola nostra erigi curauit, non quidem maiusculis, quibus exscriptus est, litteris, sed minusculis, nec seruato linearum discriminé, quia chartae parcendum erat, his pagellis interserturus sum. Est autem hic:

S. M. F. S.

*Conditus heic est Christianus Freytagius, Philologus insquis, et doctrina laudabili, sagaci iudicandi facultate, industria incomparabili, et meritorum gloria longe multumque excellens, multisque honoribus integre et cum optima laude tum in patria urbe, tum Vitembergae in Saxonibus perfunctus; qui in viuis Deo religionem, Superioribus obsequium, Conlegis mutuum amicitiae vinculum Sacratiore nexu addixit. Musas amauit, et in illarum assidua consortione vitam tranquillus et sine mentis perturbatione, remotus ab inani vitae strepitu transegit. Annales saeculorum habuit in numerato, et ex illis vitae rationem, civitate Bonisque adplaudentibus, sapienter instituit, tantasque res domini meditando perquisiuit, quantas vix alias legendo absoluere potest. Vitam auspiciatus est A. D. MDCLXXX. in montibus Sudeibus, eamque A. D. MDCCVI. in iisdem feliciter, auspice Deo, laboribus indefessis ac morbo suis*

pro-

*proprio fractus; cum aeterna hereditate commutauit. Animus vinit, Caelitumque consuetudine perficitur. Corpus terra tegit gloria, quae apud posteros, Musas ac Heredes semper salua integraque permanebit. Hoc supremi officii monumentum Ciuitas Sueb. Conlegae, discipuli, una cum Heredibus moestis ac moerentibus in sempiternam honoris memoriam gloriamque, nulla temporum iniquitate delendam P. C. MDCCVI.*

Breuibus modo *Io. Dopperti R.* in priori comment. memineramus, chartae arctis finibus praepediti, quo minus plura de eo proferremus. Quot vero, quantaque ipsius in elegantiore doctrinam et Scholam nostram merita fuerint, neminem puto posse fugere, nisi scriptorum eius plane experitem et ignarum. Quamque eximiae existimationis fuerit apud *Schurzfleischium, Bergerum, Mosheimium, Walchium, Hottingerum, Scheuchzerum,* aliosque perplures, quos parta distinguit gloria; id diserte loquuntur elogia, ab his ipsis impertita, et mutuum litterarum commercium. Vitam vna cum scriptis enarrauit *II. Programmatibus A. 1740.* seq. Fol. hic vulgatis *Dan. Trangott Mullerus*, quam germanice a me redditam et aliquibus accessionibus locupletatam b. *Bidermannus* inseruit *Nou. Actis Scholast. P. III.* Amplissimam copiosissimamque eius doctrinam olenit in primis *Commentatt. XVIII.* ab A. 1703 - 1712. forma partim maiori, partim quarta editae de *Tribus Numis, quibus impressa cernitur Auguſtorum Caligulae, Neronis et Galbae effigies, cum manu porrecta ordines circumstantes pro Romanorum more adloquens;* vid. *Nou. Litt. Germ.* ad A. 1704. p. 54. et *Ludovici Hist. Scholar.* P. V. p. 183. seq. quae commentationes rarissime iunctim apparent; pluriima enim exempla, in ciuitate olim obvia, illud infelicissimum incendium, quod A. 1719. monti nostro tam exitiale fuit, absunxit. Mihi certe non nisi octo eiusmodi prolusiones sunt superstites. Olenit vero et eius ingentem eruditionem *Commentatt. X. ad Loc. Ammiani Marcell.* L. XXII. c. 16, *de Alexandria*, ab A. 1714 - 1719. 4. editae, itidemque rarif-

rarissimae; et *Commentationes XVIII.* de Scriptoribus, qui doctrinæ the-  
 sauris et stili ornatu Saeculum VII. et sequentia, sive ipsam Barbarum il-  
 lustrarunt, ab A. 1725 - 1735. quo rebus humanis interesse desit, foras da-  
 tae, 4. In iis telam exorsam pertexuit usque ad finem Saec. IX. Percele-  
 brem illum Dantise. Theologum, D. Frid. Gulielm. Kraftium, recordor,  
 cognita argumenti utilitate, affectum fuisse desiderio, ut aliquis eruditorum,  
 huic non impar operi, continuaret et ad umbilicum perduceret illam  
 historiae literariae partem. Certe post Doppertum doctissimus Familiae  
 Benedictinae Monachus P. Magnoaldus Ziegelbaur in *Nouo Rei Litter. Ord.*  
*S. Bened. Conspectu* P. I. Vol. I. Ratisb. 1739. et *Christiani V. C. in*  
*Vestigiis doctrinae elegantioris in media mediæ aëni barbarie inter Danos Cim-*  
*brosque obuis*, Kilon. 1776. 4. multa praecclare de hac re disputauere, eo-  
 rumque, spero, operam operi continuando magno fore adiumento. Fir-  
 miter tamen quisque eius farinae elucidationum lector aequus sententiam  
*Reimmanni* sobriam tenebit, prolatam in *Biblioth. Hist. Litt. Crit.* p. 413. sq.  
 Iucundum animo pabulum praebent nonnullae, quae penes me sunt, vi-  
 rorum clarissimorum epistole ad Doppertum datae, cuius rei documenta  
 dabo duò. Ac *Iohannes* quidem *Iacobus Hottingerus*, Theologus Tiguri-  
 nus, a. d. 24. Aug. A. 1723. quam valde, scribit, pacem concordiam  
 que inter Protestantes sibi habeat commendatam, eius rei testimoniū esse differ-  
 entiam suau de conubio veritatis et charitatis in ecclesia Protestantum am-  
 issimo. Praeter opinionem, pergit, et consilium meum Cl. Hofmannus, The-  
 ologus Tubingensis Annotationes in theses eas publicavit, et, quas vides, Apo-  
 logisticas mihi extorxit, in quibus declaro, me volle serram hanc reciprocere.  
 Id vero non impedivit, quo minus idem vir *Clarissimus his meis nuperrime vin-*  
*dicias satis prolixas opposuerit, a me tamen non impetraturus, ut datam silen-*  
*tii fidem fallam. Pacis studium professus erem primo illo conatu meo. Eam*  
*scriptis eristicis non promotum iri certum est. Expectanda mihi ergo sunt tem-*  
*pora a Deo, quibus tquito bono ecclesiam suam beare velit; quae tempora priue-*  
quam

quam terrae immittentur, spero me pacis in sedibus beatis filiorum Dei regnantis possessorem fore. Non desinam interim, quamdiu in terris vixero, Deum precibus solicitare, ut beneficio isto omnium maxime ecclesiam suam ornare et reficere dignetur. Ediderat A. 1734. Vir Illustris Io. Guilielm. de Berger, perenne illud Acad. Viteb. decus, *Panegyricum Funebre*m Io. Henr. de Berger, Fratri, illi S. C. Maiest. in Senatu Aul. Imp. Consil. Vitebergae in Arcis aede 1733. publice dictum, quem omnes Eruditi, vti sane meruit, summis in caelum extulerant laudibus. Quod etsi non ignoraret Bergerus, modestiae tamen Musisque usque deditus prid. Non. Maias 1735. hunc ad Doppertum transmissum Panegyricum his dedit verbis: *Habes hic a me Panegyricum, quem expectas.* In quo si plus pietatis, quam elegantiae, repereris, ignoscere, pro humanitate Tua singulari, dolori, quo, non tam fratrem, prosequor, quam Patrem. Adiutor alia paucula, quae arripere ex pluribus potui inter multas granesque occupationes. Nunc enim curis familiae herciscundae disstringor, quibus haud satis, vt nosti, cum Muis nostris conuenire solet. Vita sine litteris mors est. cet. Quam multi Dopperti institutione assida, ductu et exemplo Musis litantes ad solidam viriusque linguae et historiae vniuersae cognitionem adspirauerint, testantur exempla priore anno adducta, maxime vero elogia latina ingenti numero Discipulis suis in Academias abeuntibus scripta, et, quia litteras auctor male pingeret, typis mandata; quae si cui percensere volupe fuerit, ea cum euentibus prosperisque laudatorum discipulorum successibus accurate patet, conspirauisse; id quod exemplis aliquibus probare volumus. Cum Theologus Vitebergenfis D. Car. Gottlob Hofmannus A. 1721. Scholam nostram cum Vniuersitate Litterarum Lips. commutaret, hic eius studiorum moderator praecipius in elegantissimo Elogio dixit inter alia plura haec: *Ipsa Graecarum litterarum dignitas et spes in latis Musarum campis pede feliciore progrediendi stimulauit Car. Gottlob Hofmannum, Sneberg. iuuenem probae spei et verum nostrae Scholae decus, suorumque delicium, alterum filium Michaelis, nostri Prorectoris — —, vt mente matura adhuc aetate*



commigraret in Graeciam, et domi pariter ac publice varias auctorum classes scruntetur. Etiam Latii ornamenta et prisca mundi ac Euandri tempora non posse habuit, nec hospes existit in illis disciplinis, quae religionis fundamenta et rationis morumque normam, iuxta praecepta pangendi et dicendi, annexa Hebraeorum lingua pro Scholae instituto aperiunt. — — Sic eas ad nouas Musas auspicato perdidicte Hofmannne, nominisque tui decus adimpleas; tua studia Deus perfundat rore altissimo. Pectori meo tua memoria manebit insculpta, quam indies laetiora in ardua doctrinae palaestra incrementa magis magisque commendabunt. Christianum vero Haushildium, Niuemont. Reg. quondam Polon. et Elect. Sax. a sermonibus sacris in aula habendis, duabus eruditis differtatt. Viteb. habitis de Pastore Aegyptiis iuuso, ad Genes. 46, 34. illisque in Nouo Thesauro Theol. Philol. Theod. Hasaei et Conr. Ikenii, Lugd. Bat. 1722. repetitis, aliisque ingenii foetibus celebrem, Fautorem illum mihi olim valde propensum, et post fata etiamnum pie a me venerandum, hoc cohonestauit elogio: *Is quidem iuuenis, honesta quaevis a prima pueritia sectatus, incredibili contentione animi impedimenta, quibus progressio in studiis, egestate pressis, alias retardari solet, vicit; utilissimos libros undique conquiuit ac legendō triuit, et saepiuscule acutas qnorundam Criticorum delirationes ridendo notauit.* Ex Graecis Homerum et Demosthenem, ex Latinis vero Liuium Tacitumque lectione iugi, et publice et domi instituta, sibi reddidit familiares. Exegeseos sacrae et sermonum, exomologesi peccatorum publicae in Schola praemitti solitorum, specimina aliquot, eaque non infelici sorte elaborata, mihi augurandi causam praebent, Haushildium meum aliquando bonum oraculorum diuinorum interpretem et oratorem sacrum futurum. His in Schola patria bene formati ciuibus alium iungamus, Christ. Fridericum Fischerum, Celsisf. Comit. Rutheno - Gerani quondam a Concionibus Aulae, posteaque Ephoriae Salaeburgensis Antistitem et oppidi Concionatorem primum. Habuerat is patruum Salom. Fridericum, l. V. D. celeberr. et nostrae ciuitatis Consulēm Splendidissimum, patrem vero Christ. Fridericum, metalliferi Tractus Niue.

Niuemontani Praefectum inclytum, omnis rei metallicaē cognitione longe excellentem, virum optimum; quem moriturum, constat, testamento reliquise bis centrum Thaleros, eo consilio sapientissimo, ut pubes metallica, licet omni Sabbathi die publice in doctrina christiana institui solita, insuper quauis tres praecipuos dies anni festos praecedente vigilia solide de rebus diuinis eruditiretur, ac de immeuisis per Seruatorem Optimum generi humano partis beneficiis moneretur. Quod testamentum variis, quibus primum premebatur, difficultatibus, eiusdem filius memoratus, liberauit, et decreto Frid. Augusti, Reg. Pol. et Elect. Sax. A. 1736. d. 29. Oct. edito, adiutus ratum fecit. Sed redeamus ad filium. Is paternarum virtutum lenociniis et natalium splendore allectus iuuēnis in Schola nostra litterarum elegantissim, morumque probitati omnem nauarat operam, et sanioribus placitis innixus indolem exercuerat sic, ut famam egregii discipuli sibi pararet, constanterque seruaret, variaeque doctrinae copiam colligeret. In spem, sic Dopoulos pertus augurabatur, venio, fore, ut, quod cepit institutum, firmo mentis robore seruet, magis magisque expoliat inter Musas Lipsienses, et hoc ornamento cinctus de familia splendidissima, de re litteraria et ecclesia bene probeque mereatur. Dum Vitebergae litterarum causa morabatur *Vindicias Epilogi Orat. Domin.* Praefide D. Chladenio defendit strenue; Lipsiae vero A. 1723. de dupli amicitiae politicae specie disputauit, ac 1724. *Dissert. Epist. qua Philia Dea Graecorum Romanorumque sifluit*, Schneebergae edidit, eruditam eam et bene latinam. Ex iis, quae hactenus narrauimus, facile est ad coniiciendum, rem nostram ab initio huius seculi longe laetiorem, eamque diuturniorem, quam antea stetisse, falso haud puto, non gratulari isti aerati. Ludi enim ordinibus praefecti erant magistri, quos eruditionis fama commendabat, qui veteres in oculis habebant, pacem et concordiam sancte colebant, intentisque omnibus animi ingeniique neruis discipulos, ad meliora studia certatum festinantes, effingebant. Nullis eos umquam vel inuidiae vel similitatis stimulis agitatos quisquam est expertus; quin potius uno hoc



saluberrimo consilio eo nisos esse constat, vt quisque salutem pueritiae pro  
 virium modulo procuraret. Quo magistrorum laudabili exemplo plerique  
 discentium excitati in amplexus Musarum quasi impetu quodam vehemen-  
 tiori ruebant, et otium, illam adolescentum pestem, cane peius et angue  
 fugiebant; verbo vt dicam, haec communis et docendi et descendendi solertia,  
 cupiditas et commoditas et doctoribus et discipulis in deliciis fuit. Quibus  
 omnibus effectum est, vt bono optime consuleretur publico. Id vero etiam  
 silentii peplo non est tegendum, eo tempore non paucos in ciuitate fuisse,  
 qui litteras non ignorarent meliores, ac singulari in viros doctos et artes in-  
 genuas ferrentur propensione, iustumque eis pretium statuerent; ne minem-  
 que facile fuisse in vrbe, notum est, qui rem Scholasticam fastidiret. Sed  
 de ea re aliorum sit iudicium, qui ex ea aetate superstites sunt; nec enim  
 dicendo exaequare vniuersa illa commoda iam sustineo. Dopperto, vltra  
 sex lustra de Schola immortaliter promerito, et de magistris et discipulis,  
 quibus, quicquid supellectilis librariae vel pecuniolae caelebs reliquit, te-  
 stamento legauerat, post fata adhuc bene merenti, successit A. 1735. Ve-  
 nerandus Senex *Michael Hofmannus*, Hoeckendorpio Misn. primum ludi  
 Neostadiensis propter Schneebergam moderator, mirificus instituendae ac  
 poliendae iuuentutis artifex, quem Ampliss. Senatus ob praecaram, qua  
 erat conspicuus, Philologiae cognitionem, suauissimamque docendi ratio-  
 nem A. 1692. e sparta laetiori vocauerat primum ad munus Collegae IV,  
 et A. 1707. Conrectoris obeundum, istoque cum omnium bonorum plaſu  
 et ingenti discentium fructu viginti et octo fere annos functus, adiit tan-  
 dem Rectoris munia, quae quoque per aliquot annos bene administrauit,  
 et confectus senio mortalitatis legi satisfecit; vir sedulus, in docendo ra-  
 tionis grammaticae tenacissimus, disertus, Scholisque tam publicis quam  
 priuatis ad amissim satisfaciens, nihilque magis curans, quam vt recte fac-  
 torum conscientius, et tranquillus et forte sua contentus vitam transigeret. Vbi  
 quid otioli supererat, quod pauxillum fuisse nouimus, id horti abs se culti

deli-



deliciis impendit, et, liberorum olim corolla adhuc cinctus, utilibus cum eis confabulationibus, in primis vero institutioni filiorum, quibus instillabat pietatis ac virtutis semina, quosque Graeciae Latique pascebat cuperdiis. Natu minor fuit Theologus Vitebergensis laudatissimus; et ex hoc filio nepos *Lib. Baro de Hofmann*, Tractatu suo *de Officinis Ferrariis*, Cur. Regnit. duabus P. P. nuper edito, aliisque scriptis clarus. Scripta Michaelis praecipua sunt: *de Columbis Dodonaeis*, A. 1746. *de Geniis Veterum*, eod. A. et *de Veterum Gymnafis* A. 1747. f. editae commentationes. Exuuias eius tegit marmor pulcherrimum, aurea inscriptione ornatum in coemeterio ciuico. Collegam is habuerat Parentem meum eheu desideratissimum, *M. Ioannem Ernestum Tromlerum*, Conr. cuius vitam et Scripta exhibent partim *D. Ludovici Hist. Gymn. et Scholar. cel. P. V. p. 199. seq.* partim *Biderm. Nou. Act. Schol. T. I. P. 8. a p. 590-606.* Nolim ego esse patris laudator, ne videar adulator. Testimonia tamen duuumi ororum fide dignissimorum, quibuscum in societatem munera vene- rat, diuque satis versatus erat, non possum non, quin hic apponam, ex quibus, qualis fuerit, B. L. patebit. Vnus est Theol. Lipsiens. *D. Vib. Godof. Siberus*, quem prima comment. ostendimus dissertationem Epist. *de Lipsia litterar. indulgent. Patrona et Ingenior. ampliss. Suscitatrice scripsisse*. In ea vero p. VIII. *Vestra*, dicit, *Academia dedit Io. Ern. Tromlerum, Schneebergensem, eruditissimum virum, ac poetam, qualem Apollo fibi finigeret, felicissimum, meliore profecto fortuna dignissimum, quippe quem non inferioribus subfelliis, sed ampliori et nobiliori orchestrae praeparatis, quemque nuper S. R. Patris et Praefulvis Zwittav. D. Christ. Gotth. Blumbergii ore ita laudatum esse recordor: Lipsiam cum hoc viro amplissimas dotes ad nos transmissee. rel.* Alter est *Doppertus*, qui in Epist. quadam *Grat. A. 1710. edita* sic eum alloquitur: *Fortuna nos coninxit, scholaeque commune iugum nobis imposuit, et deliciae amicitiae semper integrae fuerunt, quas fors tua ad bona ingenia excolenda nata familiaritate nexuque necessitudinis adstrictiore magis co-*



pulauit. Quoties te Collega Snauiissime, adii, Musasque tuas frequentani, toties mirifico gaudio delibutus fui; semper mihi placuisti, et in te, tamquam in germano Sigalionis cultore, et omnis sapientiae propagatore summum cepi oblectamentum. Praeclare, et ad uberem largamque bonae frugis messem iuuentutem nostram informasti. In te virtutum omnium mater habitauit, pietas, et veluti suum fixit domicilium, quam filiae loco semper modestia, pudor, laborandi alacritas et laudabilis continentia comitatae fuerunt. etc. Diem is obiit supremum d. 13. Jul. A. 1737. Quod reliquum est, ciuibus iam oīm satis innotuit, Parentem in conscribenda Ciuitatis nostraræ historia Melzerum magnopere adiuuisse, ac postea multa in hoc opere emendasse et addidisse, quae tamen, quippe in singulas scidas coniecta, post fata eius, curatorum tutorumque vel inscitia vel incuria, plane perire. Eam igitur spem, quam olim doctissimus et cuiusvis artis metallicae callentissimus Vir *Adolphus Beyerus*, Praef. huius loci metallicae Syndicus insigniter meritus, in egregio vtilissimoque opere suo *Otiorum Metallicorum*. P. III. p. 10. locupletandæ ex scribiis Patris et sic denuo edendæ Historiae Schneeb. lectoribus fecerat, vna, necesse est, periisse. Supereft tamen commercium litterarium Melzerum inter et Tromlerum, memorabilia de rebus in Sudetibus post-hac gestis complexum, posterisque forte non nihil profuturum.

Ex grata reminiscendi lege, et quod discipulorum aliquot in ludo nostro iussitorum, et muneribus et scriptis celebratorum passim meminimus, hic breuibus commemoremus *Christophorus Bauerum*, Niuemontanum, ex disciplina Hofmanni potissimum ac Tromleri et Saxii profectum, illum Philos. et AA. postea Doctorem, Dioeces. Wurcenensis Antistitem, Senatus ibidem Sacri Senatorem et Primarium Animorum Curatorem, optime meritum, A. 1778. fato suo functum, Virum sane eruditissimum, et scriptis variis, tam latine quam germanice exaratis, et cum plausu vel ab ipso *B. Ernestio* exceptis, celebrem, qui patriæ nominis sui meritorumque

insig-

insignium luce et benefactorum fama multum conciliauit honoris. De cuius  
 ortu, studiorum ratione, vitae genere ac scriptis cum mihi varia suppon-  
 tant, ut et de iis, quae ad perficienda haec analecta litteraria pertinent, si  
 Deus vitam, otium et opportunitatem concederit, alio tempore ea depro-  
 manam. Nos veo Deo Immortali pro cunctis hisce maioribus nostris benefi-  
 ciis praestitis, ac pro diuina tutela et flore studiorum meliorum conservato,  
 quo nostrum Lyceum ad hunc usque diem dignatus est, deuota mente gra-  
 tes perso<sup>rum</sup> amus, eumque precemur, velit, quaecunque pro salute Scholae  
 perenni vota concipiuntur, aure non auersa audire, sed rata habere. Atque  
 ad ea vota facienda nos praeprimis solennitas illa videtur prouocare, qua  
 futuro die XXI. Febr. Vir Praenobilissimus Doctissimusque *Christianus Go-*  
*dofredus Thomas, Lengefelda-Variscus*, ille quondam in celeberrima Schola  
 Thomana et Litterarum Vniuersitate Lipsiensi a litteris græcis latinisque, nec  
 non arte Musica probe instructus, exercitatusque et non ita pridem *Cantor*  
 et *Lycei Collega* a Senatu Praecellentissimo Amplissimoque lectus, ex more ve-  
 teri publice inaugrandus est. Quapropter flagranti desiderio et omni ob-  
 seruantiae cultu exoptatam honorificamque *Grauissimorum Lycei Curatorum,*  
*Ampliss. Senatus, Venerandorum Sacerdotum,* cunctorumque *Litteratorum* et  
 rei nostræ *Fautorum* praesentiam exoramus, nobisque autam Patrum in  
 litteras propensionem certo pollicemur, qua me, *de eo, quod Scholis in*  
*uniuersum publicis hac aetate perpetram culpe datur, dicturum, Inaugrandum*  
*vero de litteris felicitatis verae parentibus, Verba facturum, audire non de-*  
*dignabuntur.* Quam quidem beniuolentiam et magistris Lycei calcar ad-  
 dituram, et in studiosae iuuentutis animis stimulum aciorem ad litteras  
 virtutemque moturam esse ominamur. P. P. Schneebergae Dom. Esto Mihi,  
 A. R. S. cIcICCLXXXVII.

QKyd6/116

t2972913

ms.

VDAB



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue



A QVAEDAM LITTERARIA  
LYCEI NIVEMONTANI  
INSERVIENTIA  
MEMORIAE TRADIT,



QVIBVS  
**TORES LYCEI  
VISSIMOS**  
T AMPLISSIM VM,  
STROS MAXIME REVERENDOS,  
REI NOSTRAE FAVTORES  
EGREGIOS,

VT

T CANTORIS LYCEI INAVGVRATIONI  
d. XXI. M. Febr.

Q. C. PERAGENDAE  
IVOLE INTERSINT  
IVMANISSIME ROGAT

**HENRICVS TROMLERVS.**

us et Dioeces. Cygn. Adjunctus Primar. Reg. Teut. Societ.  
ting. et Lat. Ien. Soc. Hon.

**HNEEBERGAE,**  
A. N. HEINR. FYLDII.